



R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Metaphysicam, id est, Scientiam de Ente incorporeo, seu
transnaturali

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

IX. Satisfit argumentis contra nostram sententiam suerpius explicatam de
essentia intellectionis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95247](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95247)

suo obiecto non distinguitur, in eoque ab intellectu, seu cognitione directa distinguitur, quod ita non sit ab obiecto suo distincta. Cur ergo implicet contradictionem intellectio, quæ in intellectu, aut aliqua eius qualitate, ac simul in obiecto vtriusque, homine v.g. aut lapide sita sit.

87 Rursus asserendum est, non repugnare intellecti-
nem aliquam, quæ sit essentialiter actio, ac seipsa
seorsim à quavis actione distincta, ac prævia ab in-
tellectu proficiscatur. Ratio huius est, quia de ratio-
ne actionis, & termini non est, vt inuicem realiter
distinguantur. Etenim quavis creatura est terminus
diuinæ omnipotentiae, ab eaque producit: aliunde
88 verò est essentialiter actio, & seipsa à Deo, eiusque
omnipotentia producit: de quo alibi. Item filius
Dei est terminus generationis paternæ, ac simul est
ipsa generatio passiva. Ad hoc: possibilis est effectus
aliquis. Phisicus causæ etiam creatæ, qui simul
actio sit, ac per seipsum producat: quæ enim in
hoc implicatio terminorum est? Similiter ergo in
præsentia, &c.

88 Præterea asserendum est, non repugnare intelle-
ctionem, quæ, quin actio sit, seipsa tamen intellectui
vniatur, & non qualitas absoluta, vt de facto, sed mo-
dus sit. Quemadmodum enim intellectio aliqua esse
potest actio, quidni & alia queat esse vnio per actio-
nem producta? Et sicut subsistentia, cum iuxta plu-
res aduersariorum sit modus de facto, nihilominus
de potentia absoluta esse potest forma absoluta, ac
denominationem suam per vnionem distinctam tri-
buere, haud aliter ac subsistentia verbi non nisi vnio-
ne distincta facit humanitatem Christi subsistere:
sicut inquam hoc ita se habet, cur etiam intellectio,
quæ modo qualitas absoluta est, nequeat esse modus
in alio rerum ordine?

89 Postremò asserendum est, intellectiorem aliquam
non repugnare, quæ simul actio vnioque sit. Nec
enim actio, & vnio identificari inuicem repugnant,
sed potius in eadem realiter entitate coherent, cum
actio, quauisquæ saltem de facto sit, seipsa agenti
creato vniatur: aliàs si per vnionem à se distinctam
ei vnitur, ea vnio per aliam actionem produceretur, &
rursus hæc productio per aliam vnionem vnietur, &
vltius hæc vnio alia actione produceretur, ac sic vnio-
nes, & actiones infinitæ, & prorsus innumerabili al-
ternatione multiplicabuntur, quod est per absurdum.
Quando igitur vnio & actio in eadem entitate com-
possibiles sunt; quando item intellectio actio esse
potest, necnon vnio, vt superius ostensum est, cur
vtraque simul esse nequeat?

CA P V T IX.

Satisfit argumentis contra nostram senten-
tiam superius explicatam de essentia
intellectionis.

90 A Sserui duobus capitibus præcedentibus in pri-
mis actionem productiuam verbi, prout ab eo
realiter distinctam, eoque natura priorem, esse intel-
lectionem obiecti. Secundo verbum ipsum, prout
condistinctum ab actione, atque in sensu diuiso
illius, esse etiam intellectiorem, seu cognitionem rei.
Tertio non repugnare intellectiorem, quæ in aggre-
gato actus, seu potentie, necnon etiam obiecti for-
malissime consistat. Quarto nullam etiam esse repu-
gnantiam in intellectiione, quæ nec sola actio pro-
ductiuam verbi sit, nec solum verbum, sed potius actio,

& verbum, terminusque absque vlla vtriusque distin-
ctione reali. Quinto non implicare etiam intelle-
ctionem, quæ non qualitas absoluta, sed modus sit,
ac seipsa intellectui vniatur. Sexto tandem intelle-
ctionem aliquam possibilem esse, quæ sit essentiali-
ter actio, & vnio. Quæ asserta, quoniam non om-
nibus placitura sunt, idcirco ea ab argumentis con-
trariis libet breuiter vindicare.

Obiiciunt ergo primò contra primam assertionem
aliqui. Si intellectio est actio, sanè intelligere erit
91 agere & intelligi erit agi: intellectus igitur intelli-
gens obiectum illud ager, & rursus agens, producon-
que verbum illud intelligit, atque cognoscer: pari-
que ratione obiectum, quoties intelligitur, toties
ageretur, ac produceretur; verbumque, vt non intelli-
gitur, sic etiam non produceretur. Obiiciunt secundo
aduersarij contra eandem assertionem terminus
actionis, per quam intellectus operatur immanen-
ter, se solo est imago, ac similitudo, seu representa-
tio obiecti, atque adeo est intellectio, seu cognitio
illius: haud aliter atque in Deo etiam datur intel-
lectio quædam absoluta, & essentialis seorsim à quavis
actione, vel origine. Quando ergo terminus actio-
nis, de qua loquimur, est intellectio, certe ipsamet
actio non habebit rationem intellectiõis: quo pa-
cto quia terminus calefactionis calor est, sanè ipsa
actio calefactiua calor neutiquam censetur.

Ad primum tamen argumentum respondeo: aut
92 sermo est de agere præcisè, atque in communi sum-
pto: & ita intelligere, licet sit realiter agere, ab eo
tamen virtualiter intrinsecè distinguitur, meritoque
huius distinctionis, quamuis non realis, reali tamen
æquiuolentis poterit intellectus aliquid intelligere,
quod non agit, & agere, quod non intelligit: idem-
que de intelligi, & agi, seruata proportionem dicendum
est: haud secus ac in actu contritionis v.g. quia
amor, & odium virtualiter distinguuntur, amor
Deum, quem amat, non odit, & odium peccati illud
non amat: de quo plura superius lib. 2. tract. 4. à
cap. 4. Quod si sermo sit de agere non præcisè, atque
in communi sumpto, sed de tali agere, nimirum de
agere, seu exprimere imaginem rei in intellectu, cer-
te intelligere, & agere in hoc sensu ne virtualiter
quidem distinguuntur, sed potius sunt omnino ead-
em. At ex eo quod intelligere obiectum, sit agere
verbum ipsius, quis colligat, vel iure possit, aut ob-
iectum agi, aut verbum intelligi, siue cognosci ab
intellectu? Hac ratione, etsi albefactio, siue dealba-
tio iuxta omnes sit actio quædam, inde tamen non
infertur, eum, qui dealbat parietem, eo ipso parietem
producere, aut qui agit, vel applicat albedinem, eam
dealbare.

Ad secundum argumentum respondeo, terminum
93 quidem actionis intellectualis esse intellectiorem, ob
rationes superius late propositas: cæterum inde non
fieri actionem ipsam non esse etiam intellectiorem,
sicut, quamuis volitio Dei sit actio, non sequitur, eius
etiam obiectum, siue terminum non esse actionem,
siue dependentiam essentialam, actualemque rei à
Deo: & quamuis in diuinis intellectio absoluta, &
communis tribus personis sit propria intellectio, non
efficitur propterea, intellectiorem notionalem, pro-
prietatemque Filij, strictè etiam intellectiorem non esse.
Recole quæ supra disseruimus cap. 6. ex iis enim con-
stabit manifesta disparitatis ratio inter calefactionem,
& eius terminum, & intellectiorem etiam, eiusque
terminum; cum nimirum, etsi solus terminus calefa-
ctionis: non verò ipsa calefactio calor sit, hoc ta-
men non obstante terminus dictiõis internæ intel-
lectio ita sit, vt ipsa etiam dictio, siue productio verbi

similiter intellectio obiecti dici possit, ac debeat. Ratio à priori est, quia actiones, quæ sunt in genere vitæ spiritualis, & intellectiua id habent ratione suæ peculiaris perfectionis: ut terminis suis non dent esse cognitionem, quin ipsamet prius sint formaliter, & in actu secundo cognoscitiua, ac verissime intellectiones.

94 Contra secundam assertionem nostram arguunt quidam primo; Actio productiua Verbi, propterea ab eo condistinguitur, & pro priori ad illud est intellectio, cum aliis de causis, tum quia exprimit imaginem obiecti, tum quia obiectum repræsentat, siue intellectui præsens facit, nec non quia est attentio ad illud, ac denique quia est dictio illius: cum igitur actio præfata sit intellectio, qui fieri potest, ut eius terminus sit etiam intellectio, sicut quia actio productiua caloris est calefactio, sanè terminus eius actionis calefactio esse nequibit. Arguunt secundo aduersarij: si terminus actionis intellectualis, & ab ea realiter distingueretur, ac prout sic condistinctus intellectio, & cognitio seipso esset, proculdubio posset separari diuinitus ab ea actione, & sine illa recipi in intellectu: ita autem duntaxat receptus in intellectu ei denominationem suam impertiret, eamque faceret intelligere. Consequens autem falsum est: primò quia illa intellectio esset, & non esset vitalis: vitalis quidem, quia intelligere omnium consensu viuere est: non vitales, quia vita consistit in motu ab intrinseco; tum autem intellectio non esset ab intrinseco: secundo quia amor more intellectiois solum in voluntate receptus, esset voluntarius, quia id ei essentiale est, & non esset voluntarius, quia non esset à principio intrinseco cum cognitione.

95 Arguunt tertio aduersarij contra eandem assertionem. Intellectum est essentialiter actuum: intellectio igitur, quæcunque sit, essentialiter erit actio: ac proinde nulla poterit in qualitate, seu Verbo consistere. Arguunt quarto. Essentia modi est vnum ad aliud determinare, & indifferentiam tollere aliquorum extremorum: atqui, cum intellectus sit indifferens, ut cognoscat vel non cognoscat obiectum hæc indifferentia determinatur per intellectioem: intellectio igitur est modus: male ergo assertumus de ea quod sit in absoluta qualitate sita.

96 Ad primum horum dicendum est, actionem productiua Verbi esse quidem intellectioem: cæterum hoc non obstante eius etiam terminum esse intellectioem: uti paulò supra in simili aiebam: cur autem, licet terminus actionis calefactiua non sit calefactio, nihilominus terminus actionis intellectualis esse possit, debeatque intellectio, ad instar actionis per quam exprimitur, & quæ inter utrumque terminum sit disparitates ratio, facile colligi potest ex dictis supra cap. 5. in impugnatione quintæ sententiæ. Ad secundum dicendum est, in primis non deesse, qui Verbum, tametsi intellectio sit, propterea condistinguitur ab actione, reuuant tamen absque actione in intellectu recipi posse: sicut è contrario, quævis actio distinguatur à termino suo, sine eo tamen diuinitus etiam reperiri nequit vsquam. sed de hoc plura cap. sequenti, ubi etiam palam fiet, intellectioem, tametsi absque actione vlla immanenti in intellectu reciperetur, futurum tamen vitalem vitam non Physicam, quæ in motu ab intrinseco consistit, sed vitam intentionalem, quæ in mera obiecti repræsentatione, & amore sita sit: parique ratione amorem in voluntate duntaxat receptum futurum non Physicè, sed intentionaliter voluntarium.

97 Ad tertium dicendum est, eius antecedens esse falsum: non enim implicat contradictionem intellectu-

ctuum aliquod nullo modo productuum suæ intellectiois, sed potius eius merè passiuum, ac receptiuum. Negari etiam potest consequens: alicui enim volituum est essentialiter cognoscituum; & tamen volitio non est cognitio, quidni etià intellectio possit non esse actio, tametsi concedatur intellectui omne esse actuum? At quartum dicendum est, modum determinare non solum in actu primo sed etiam in actu secundo per seipsum essentialiter indifferentiam eorum quæ interiacet extremorum: intellectioem autem hac ratione non determinare indifferentiam intellectus ad obiectum eò quod per seipsam ei non vniatur.

98 Vterius contra tertiam assertionem nostram ita argumentantur eius aduersarij. Intellectio est actus immanens, & vitalis: si intellectio aliqua possibilis in obiecto ex parte consisteret, haud dubiè esset actus non immanens aut vitalis, sed potius transiès, utpotè cuius aliquod constitutum essentiale, nimirum obiectum, non intra intellectum esset, sed eum extra. Deinde arguunt contrarij. Obiectum cognitum, siue intellectum intellectiois causa est: ex obiecto enim, & potentia paritur notitia, ut cum Augustino omnes in confesso habent: atqui causa distinguatur adæquatè à suo effectu: ergo & obiectum ab intellectioe, ac proinde eam intrinsece, & essentialiter non constituit.

99 Hæc tamen argumenta momentosa non sunt. Non prius. Namque veritas formalis actuum intellectus eum denominat verè, eique immanens dicitur more actuum ipsorum, quorū proprietas est, nimirum quia licet ex actu & obiecto quòdque coalescat partimque intrinseca, & partim extrinseca intellectui sit, tamen eius constitutum principale, entitas scilicet actus veri, semper intellectui immanet, & est intrinseca. Similiter ergo intellectio illa immanens, qua de loquimur, dici posset actus immanens, quantumlibet aliquod eius constitutum nempe obiectum esset extra intellectum: videlicet quia præcipua eius pars intellectui nihilominus immaneret. Adde, quod esse actum omnino, ac totaliter, ut aiunt, immanentem, & vitalem, solius intellectiois de facto existentis non verò possibilis dici debeat proprietas. Posterius etiam argumentum numero superiori propositum expositione fermè non eger: ut enim obiectum sit causa intellectiois, cognitionis suæ facis est, ut eam intrinsece constituat, ab eaque realiter inadæquatè distinguatur: qua tantum ratione albedo v. g. album causat ab eoque distinguatur.

100 Præterea contra quartam assertionem nostram Hurtados, & alij argumentantur primò in hunc modum. Actio est via, & tendentia in terminum suum: at via & tendentia in terminum debet ab eo realiter distinguì, haud aliter ac via localis à terminis suis, à quibus incipit, & in quos desinit, necessario distinguatur: actio ergo, quæ est via, & tendentia quædam ab agente ad effectum, non poterit non distinguì ab effectu, atque adeò intellectio nequit in vllorum ordine esse qualitas per seipsam producta. Arguunt secundo iidem: potentia actiua, ut actiua, realiter distinguatur ab effectu, cuius est actiua: aliàs cum ea reduplicatione sumpta non esset ad aliud, sed potius fuisset ipsius foret actiua: ergo etiam potentia agens, ut agens, distinguatur realiter ab effectu: cum ergo potentia agens, ut agens, inuoluat actionem, & pro formali sit ipsa actio, sanè hæc ab effectu suo necessario distinguenda est, ac proinde cum eo in intellectioe realiter non identificatur.

101 Hæc tamen argumenta magnoperè non vrgent. Ad primum respondendum est, actionem non esse propriè,

proprie, & rigo rosè viam ad terminum, siue effectum: quot enim locorū spatia, quot flexus, atque anfractus, quot montium, valliumque discrimina causam ab effectu praesertim sibi intrinseco separant: tantum ergo improprie, ac metaphoricè actio dicitur via ad effectum suum; quia nimirum agens sine illa ad effectum peruenire, eumque consequi non potest, sicuti si non pateat via, & adius ab extremo ad extremum sanè non poterit quis ab vno eorum ad aliud peruenire, illudque tenere. Porro vt actio sit metaphoricè, & translaticè via, media qua causa peruenit ad effectum, eumque consequitur, satis est vt actio ab effectu ratione nostra distinguatur, quantumlibet via propria, & localis ab extremis, quæ interior, realiter distinguatur. Quæ cum ita sint, quidni possibilis sit intellectio, cuius actio, quantumvis via quodammodo ad illam, ab ea tamen sola ratione, non verò realiter sit distincta.

Alterum etiam argumentum, cui nituntur aduersarij, perquam est imbecille. Quemadmodum enim potentia actiua, vt actiua, ab actione possibili, per quam tanquam per formam constituitur, vt plures censent distinguitur realiter inadæquatè, non autem realiter adæquatè; ita similiter potentia agens, vt agens, eadem de causa distinguitur ab actione exercita, non tam realiter adæquatè, quam distinctione reali inadæquata. Quod si actio, & terminus idem sint, consequenter potentia actiua, vt actiua, à termino suo, siue effectu prout possibili distinctionem fortietur realem inadæquatam: ac pari ratione & distinctione, secerneretur potentia agens vt agens ab effectu vt exercito. Caterum aduersarij non probant, nec possunt probare, potentiam actiuam, aut etiam agentem quatenus talem debere esse ad aliud à se realiter adæquatè distinctum. Fateor tamen, si quod probabile est, potentia actiua transcendentaliter refertur ad suos effectus, aut, quod perinde est, si est omnino intrinsecè, & essentialiter actiua, eo ipso illam esse ad aliud à se realiter adæquatè distinctum. At non propterea potentia agens per actionem à se distinctam erit ad aliud à se realiter adæquatè distinctum, cum in ratione agentis ipsam actionem, ad quam refertur, necessariò inuoluat; denominatioque agentis ei intrinseca omnino, & essentialis non sit, sicut denominatio illa, qua actiua dicitur.

Tandem quintæ, & sextæ assertioni nostræ quidam refragantur, & sic aduersus eas arguunt. Intellectio, qualiscumque sit, longè perfectior est candore v.g. atqui candor non vnitur per seipsum parietis, nec cum eo essentialiter connectitur: à fortiori ergo intellectio, quæ vt perfectior candore sic eo magis absoluta à subiecto, magisque independens esse debet, ei non poterit per seipsum essentialiter vniri, cum eoue connecti. Quo etiam argumento concludi potest, intellectionem multo minus seipsa connecti posse cum intellectu velut cum subiecto informationis, ac simul etiam velut cum causa efficienti. Arguunt secundo aduersarij contra easdem assertiones. Si eadem indiuisibilis entitas intellectiones esset simul qualitas intentionalis, siue similitudo ac imago obiecti, necnon actio vitalis, atque etiam passio, siue vnio sui cum subiecto, sanè simul pertineret ad tria prædicamenta, nempe ad prædicamentum qualitatatis, & illud quod est actionis, atque etiam ad passionem prædicamentalem. Consequens est absurdum: ergo & illud ex quo sequitur.

Nihil tamen ponderis est in his impugnationibus. Ad primam earum facilè dici potest, intellectionem, quantumlibet essentialiter connexam cum intellectu, aut velut cum subiecto cui seipsa vnitur, aut velut

cum causa efficienti à qua per seipsam proficiscatur, aut vtroque simul modo; aliis tamen ex capitibus posse esse perfectiorem candore & similibus qualitatibus absolutis: haud aliter ac vnio hypostatica, quamuis forma quædam modalis sit, formas tamen substantiales absolutas sin minus omnes, saltem multas perfectione superat. Ad secundam impugnationem contrariam dicendum est, non inconuenire, nec absurdum esse, si eademmet realiter entitas non solum ad tria prædicamenta spectet, verum etiam ad trecenta, si darentur. Hactenus toto hoc tractatu de essentia intellectionis quoad id an consistat in intellectu ipso & obiecto, an in qualitate, aut actione, &c. Porro eandem intellectionis essentiam quoad alias eius conditiones, & terminos sequentibus capitibus huiusmet tractatus explicare pergo.

CAPVT X.

An intellectio vt sic essentialiter postulet concursum effectiuum potentia vitalis, ita vt in ea, ne miraculosè possit à solo Deo produci?

Capreolus, Ferrara, & alij Thomistæ suprà in impugnatione quintæ sententiæ de natura intellectionis relati censent, intellectionem, vt intellectio est, ne diuinitus quidem existere posse in intellectu absque concursu, & actione illius; nimirum quia intellectio omnis est formalissimè actio ipsa per quam intellectus exprimit in se imaginem obiecti, eiusque verbum sibi ipsi loquitur: caterum non inficiantur terminum eius actionis, quem intellectionem esse renuunt, de potentia Dei absoluta collocari posse in intellectu absque illius effectione, & concursu vitali; ita tamen vt intellectus per illū minimè intelligeret. His annumerandi sunt Suar. & Hurtad. vbi suprà, qui, tamen si terminum actionis intellectiua in intellectu absque huius concursu effectiuo diuinitus posse censcant; non tamen intellectionem; quippe quam non solum in termino intellectu, verum etiam in eius actione, & passione sitam esse arbitrantur.

Contrà tamen sic argumentor. Intellectio vt sic non consistit in actione, aut sola, aut simul cum termino sumpta, sed nonnunquam in solo termino facta recta conseruatur: quamuis ergo actio intellectiualis sine actione omni in intellectu reperiri nequeat, inde tamen non sequitur illicò, intellectionem non posse in intellectu absque eius actione existere posse: quapropter fundamentum quo innituntur aduersarij nullum est, vt constat ex iis quæ supra inter quintam, & octauam sententiam de essentia intellectionis profligandas adduximus. Deinde, vt ibidem ostendimus, vtque eodem redit, qualitas terminans actionem immanentem intellectus, prout ab hac condistincta, est intellectio ac se sola, & seorsim ab actione intellectui effectum suum formalem, & denominationem intelligentis potest tribuere: cum ergo eiusmodi qualitas iuxta aduersarios diuinitus collocari queat in intellectu absque vilo eius concursu effectiuo, sanè etiam intellectio sine vilo tali concursu in eo poni, eumque intelligentem reddere apprimè poterit.

Alij, quorum meminit P. Vasquez tom. 1. in 1. 2. quæst. 3. art. 2. disp. 9. cap. 5. num. 18. timentur, qualitatem, quæ cognitio, aut volitio est, in ratione quidem qualitatis diuinitus poni posse in intellectu eam nullo modo producente: at si consideretur ea qualitas, non vt qualitas præcisè est, sed prout cognitio, sic